MASTER NEGATIVE
NO. 93-81313-6

AUTHOR:

WACHSMUTH,
GUILIELMUS

TITLE:

DISSERTATIONIS DE
LUCERIA APULIAE URBE

PLACE:

LIPSIAE

DATE:

1844-1845

Master Negative #

93-81313-6

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

945L961 Wachsmuth, ~~Ernst~~ Wilhelm 1784-1866
W11

Dissertationis de Luceria Apuliae urbe.
Lipsiae 1844-45. Sq. O. 3 pts.
In memory of Johann Au- See next card.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 4/22/93 INITIALS BAP
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

Master Negative #

93-81313-6

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record


945L961 W11 | gust | Ernesti, F. A. W. Spohn + K. F. K. von Sternbach.

61974


Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 4/22/93 INITIALS BAP
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT









AIIM


Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202









MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE JOUR
EN JOUR
EN APPRENANT
MOURANT

De la bibliotheque
de M.
Anatole de MONTAIGLON.

MEMORIAM IOANNIS AUGUSTI ERNESTI

DIE XII. M. SEPT. A. MDCCCXLIV.

HORA IX.

IN AUDITORIO IURISCONSULTORUM

ORDINIS ILLUSTRIS CONCESSU

SOLEMNI ORATIONE CELEBRANDAM

INDICIT

GUILIELMUS WACHSMUTH
ORD. PHILOS. H. T. DECANUS.

Praemissa est dissertationis de Luceria Apuliae urbe Pars I.

LIPSIAE
TYPIS STARITZII, TYPOGR. ACAD.

De Luceria, Apuliae urbe.

Cogitanti mihi de dissertationis academicae materia, qua tractanda orationi in I. A. Ernesti memoriam habendae praefarer, peropportune in manus venit egregium et nitore eximio conspicuum opus, Ducis de Luynes, Musis amici literarumque et artium patroni magnanimi, cura editum et munificentissime compluribus Germaniae viris doctis dono datum:

Recherches sur les monumens et l'histoire des Normands et de la maison de Souabe dans l'Italie méridionale, publiées par les soins de M. le Duc de Luynes, membre de l'académie des Inscriptions et Belles-lettres. Texte par Huillard-Bréholles, Traducteur de Matthieu Paris. Dessins par Victor Baltard, Architecte. Par., Imprim. de C. L. F. Panckoucke 1844.

In quo quidem tam narratione quam tabulis rerum gestarum memoria ita amplificata est atque illustrata, ut eiusmodi curas ducales praedicare et iusta laude prosequi pium sit officium. Iam quod post Aegypti descriptionem Napoleonis cura editam evenit, ut terrae istius accuratius etiam cognoscendae aculeos relinqueret,

idem de Raumeri luculenta Hohenstaufforum historia dicendum. Inprimis apud nostram gentem, principum illorum infausta Italiae cupidine male habitam, quum admiratio virtutis in illis conspicuae tum flebilis exitii, quo illustris domus novissima proles interemta est, memoria ita vigent, ut singula aetatis istius momenta retractata et dilucidata singulari studio amplectamur. Equidem tabula, qua castelli ad Luceriam Apuliae urbem antiquissimam a Friderico II. Imperatore exstructi rudera repraesentantur, aspecta, quae de urbe ista tradita sunt, maxime quae Saracenorum a Friderico II. eo missorum conditionem spectant componere commodum duxi.

I.

Igitur Luceria Dauniorum, gentis Apulae, urbs vetustissima, et quae antiqua sacra votiva in Minervae templo Strabonis aetate asservata Diomedi debere dicebatur[1]), in Samnitium confinio, unde planities fertilissima, qua Diomedis campi continentur, mare versus porrigitur, ad ipsas radices Apennini prope flumen Cerbalum in plano sita[2]), primum in bellorum inter Romanos et Samnites gestorum historia commemoratur. Muris eam cinctam fuisse nisi e rerum gestarum memoria pateret, pro vetustarum urbium Italicarum ratione coniiciendum esset; quod vero in colle, qui ad ipsam urbem Apennini iugo contiguus eminebat, arcem exstruere

1) *Ἐν μὲν τῷ τῆς Ἀθηνᾶς ἱερῷ τῆς ἐν Λουκερίᾳ, παλαιὰ ἀναθήματα· καὶ αὕτη δ' ὑπῆρξε πόλις ἀρχαία Δαυνίων, νῦν δὲ τεταπείνωται.* Strab. l. VI, ed. Casaub. p. 284 A.

2) Liv. 9, 26.

Luceriae incolae neglexerant, id indolem eorum minime militarem aut ambitiosam fuisse ostendit, atque re vera Apuli universi ac singuli in armis minime strenui aut experti fuerunt. Ex isto vero colle tota fere planities ita pendet, ut praesidium ibi collocatum facili negotio eam continere, ad alterum vero latus, Apenninum versus, montium fauces, unde hostis egredi nitatur, egregie claudere possit. Iam curis eiusmodi militaribus Lucerini supersedentes cum reliquis Apulis Samnites incommodos camporum suorum laeta segete florentium vicinos gravabantur, atque, posteaquam alterum Samnitium cum Romanis bellum exarserat Romanorumque virtus longe lateque per Italiam inferiorem audiebat, ad hosce sese adplicantes atque arma virosque polliciti a. u. 429 foedere in amicitiam Romanorum recepti sunt[3]). Lucerinos autem reliquorum fuisse quasi praedes Apulorum ex iis, quae posthac gesta sunt, apparet. Siquidem Samnites paucis annis post, a. u. c. 433, Luceriam urbem obsidebant, quod quum Romanis nunciatum esset, ad urbem obsidione liberandam exercitus eorum per medios Samnitium fines in Apuliae planitiem pervenire conatus ad furculas Caudinas a Pontio, Herennii filio, in deditionem venire coactus est[4]). Interea Samnites Luceriam expugnaverant, ibique obsides a Romanis sub iugum missis datos in custodiam tradiderant[5]).

3) Liv. 8, 25.

4) Liv. 9, 2 sqq.

5) Ita factum esse ex iis, quae Livius 9, 12 narrat, coniiciendum est: Livium vero rei gestae memoriam in iis, quae praecedunt, silentio praeteriisse, iam Perizonius, animadvers. histor. Cap. IV, p. 169 ed. Harles., monstravit.

Anno sequente Papirius Cursor Consul ad Luceriam recuperandam exercitum in Apuliam duxit, eam obsidione pressit, Samnites opem laturos ad Luceriam magna clade affecit atque urbem recepit[6]. Verumtamen aliquot annis post, a. u. c. 440, Poetelio et Sulpicio Coss., proditione urbs Samnitibus tradita est. Quod quidem Romani statim ulti sunt, quippe urbe primo impetu capta Lucerinos et Samnites ad internecionem ceciderunt. Quo facto ut fidei haud ambiguae locus crederetur stabileque ipsis esset ista in regione ad Samnites in montibus continendos valde opportuna praesidium, coloniam 2500 civium eo miserunt[7]. Ab eo inde tempore Romani semel tantum ad istam urbem signa cum Samnitibus contulisse videntur, siquidem a. u. c. 460, Posthumio Megello et Atilio Regulo Coss., Samnites ad obsidendam Luceriam e montibus egressi ab Atilio pugna cruenta victi sunt[8].

Bello Punico altero Hannibal Apuliae vastationem a Luceria exorsus est, annoque sequente in ista quidem planitie ad Cannas Romanorum delevit exercitum, quam cladem immanem defectio

6) Liv. 9, 15.

7) Liv. 9, 26. Cf. Diodor. 19, 72 qui coloniam iam anno praeterito, Papirio et Publilio Coss., deductam esse tradit, et Vellej. 1, 14., qui octo post Alexandriam conditam annis id factum esse perhibet.

8) Liv. 10, 35. Quod Diodorus 19, 76 de Poetelii et Sulpicii Coss. victoria ad urbem *Cinnam*, quam nemo novit, ex Samnitibus reportata perhibet, id a Cluverio perperam de Luceria intelligi recte Wesselingius ad istum Diodori locum monuit. Livius enim, qui 9, 27 Coss. istorum victoriam commemorat, Samnites ex Apulia ad Caudium revocatos ibique pugnam commissam esse, Samnitesque caedi superstites Beneventum fugisse tradit. Id vero nullo modo ad Luceriam referri potest.

civitatum plurimarum Italiae inferioris sequebatur, neque post locis illis abstinuit visendis, quippe quem mulierculae amor frequenter Salapiam urbem Apulam duceret[9]; Luceria tamen non potitus est[10], Lucerinique bello senescente a Senatu propter fidem immotam laudati sunt[11].

Missa facimus loca apud veteres scriptores exstantia, quae Luceriam coloniam haud ignobilem per secula insecuta fuisse[12], nil vero de eius statu accuratius nos docent, nisi forte, eam bello inter Caesarem et Pompeium exorto, antequam hic Italiam desereret, copiis Pompeii colligendis opportunam esse visam[13], inter municipia vero Romana tertio p. Chr. seculo praetoris Apuliae eam fuisse sedem[14].

Iam vero antequam ad medium aevum, quo insignem famam nacta est Luceria, procedamus, de duplici literae initialis scribendi ratione tam apud veteres quam recentiores scriptores usu veniente dicere a re nostra haud alienum esse videtur. Scilicet Nuceria apud nonnullos antiquitatis scriptores legitur, e. g. apud Ptolemaeum[15], Appianum[16], in tabula Peutingeriana, neque minus in nonnullis Livii historiarum libris manuscriptis[17]. Quonam modo id fieri

9) Polyb. 3, 88, 5. Plin. H. N. 3, 16.

10) Liv. 23, 33. 37.

11) Liv. 27, 10.

12) Plin. H. N. 3, 16 et quos praeterea laudavit Cluver. Ital. ant. p. 1215.

13) Cic. ad Att. 7, 12. Caes. b. c. 1, 24. Appian. b. c. 2, 38.

14) Tab. Peuting., ubi aedes Praetorium Lucerianum (Lucerinum) inscriptae.

15) *Νουκερία Ἀπουλῶν* ed. Nobb. p. 154.

16) De b. civ. loco supra laudato.

17) Ita 9, 38, 2. 23, 33, 5 ubi v. Drakenborch. annotat.

potuerit, non solum oris atque auris negligentia ad literas istas inter se commutandas proclivi, sed eo quoque explicatur, quod tria in Italia fuerunt oppida nomine Nuceriae appellata. Nempe 1) Nuceria in Campania ad flumen Draconem sita[18]), cognomine Alfaterna[19]), quod, nisi omnia me fallunt, cognationem cum urbe Alifarum Samnitica a Samnitibus, qui e montibus in Campaniam a. u. c. 331 degressi erant[20]), derivandam arguit, cuius oppidi satis frequens mentio est facta[21]); 2) Nuceria in Umbria ad viam Flaminiam prope Iguvium sita, cui nomen Camellariae eidemque Favoniae additum erat[22]); denique 3) Nuceria ad Padum sita[23]). Iam in confundendis literis L et N huius vulgarior usus fuisse videtur, unde factum, ut medio aevo Luceria Apula plerumque *Nocera* appellata sit[24]). In nomine Nuceriae scribendo raro fluctuant codices, neque vero desunt, qui L pro N exhibeant[25]), rursus Nuceriae ad Padum sitae nomen vulgi ore prorsus in Luceriam transiit, unde nunc Luzzara dicitur[26]).

18) Procop. 2, 637. ed. Bonn.
19) Diod. 19, 65. Plin. 3, 8, 9.
20) Liv. 4, 37.
21) Liv. 9, 38. 41. 23, 15. 27, 3.
22) Plin. H. N. 3, 39. Strab. 5, 227 ed. Casaub. ἡ τὰ ξύλινα ἀγγεῖα ἐργαζομένη.
23) Ptolem. p. 148 ed. Nobb. Cluver. Ital. ant. p. 281.
24) La quale allora si chiamava Liucera (Luceria) e oggi si chiama Nocera. Ricord. Malesp. ap. Murator. scriptor. rer. Italic. 8, 958 A. Iisdemque fere verbis „che anticamente — si chiamava Lucera ed oggi si chiama Nocera" Giov. Villani ap. Murator. Vol. XIII, p. 162 A.
25) V. Drakenborch. ad Liv. 9, 38, 2.
26) Cluver. Ital. 281.

In qua literarum L et N inter se commutandarum incuria equidem virorum istorum sententiae, qui censent, urbi Apulae et oppido Padano utrumque nomen, Luceriae atque Nuceriae, antiquitus suo iure fuisse, adstipulari nequeo. Etenim ex illa sententia tibi persuadeas, duplicem nominis radicem, „lucem et nucem," ubi Latinam premis originem, statuendam esse, quod haud consentaneum est.

Quae quum ita sint denique quaeritur, annon propter fluctuantem literae initialis scriptionem apud scriptores in rebus gestis enarrandis Luceria nostra cum Nuceria una alterave ita confusa sit, ut quid unicuique debeatur, inde sit turbatum. Id quidem factum esse haud animadverti, nisi forte huc referre velis historiarum Livii locum, quo de Cumis sermo, verum de Luceria cogitandum est, ut qui Cumas scripsit, Liviusne an librarius, Nuceriam urbem Campanam haud ita longe a Cumis distantem in animo habuisse videatur[27]). Sed haec probabili coniectura assequi vix datum est. Quod si medio aevo eiusmodi commutatio facta est, id, praeterquam negligentia in literis L et N articulatim discernendis obvia, eo explicari possit, quod sicut Luceria Apula, cognomine „degli Saraceni" gaudebat, ita Nuceria Campana „degli pagani" appellabatur, propterea quod decimo p. Chr. n. seculo Saraceni ibi sedem nacti esse dicebantur[28]). Cuius confusionis exemplum quidem me fugit, at vero, quum Nuceriae Campanae

27) V. Drakenborch. ad Liv. 23, 37 §. 13.
28) V. Ducis de Luynes Recherches. p. 139. V. 1.

in medii aevi historiis haud ita exigua sit ratio, monendum esse videtur, ut ne quis Friderici de Raumer narratione, Fridericum II. Siciliae Saracenos Noceram traduxisse [29]), urbem Campanam intelligens, fallatur.

II.

Iam iter historicum per medii aevi secula pergere tempus est. Igitur seculis inter imperii Romani occidentalis exitum atque Normannorum in Apuliam adventum haec regio cum eaque Luceria urbs, iam episcopi sedes [30]), plerumque in ditione ducum Beneventanorum erat, eamque istis quoque temporibus munitam fuisse eo apparet, quod Constans II. Imperator Constantinopolitanus impressione in Apuliam facta Luceriam vi cepit. Simul opulenta tunc temporis fuisse dicitur [31]).

Expugnata a Constante et diruta in ruinis haud diu iacuisse videtur Luceria. Etenim Caroli Magni aetate denuo eam muris

---

29) Hist. Hohenstauf. 3, 296.

30) Ughelli, Italia sacra Vol. IX, p. 314.

31) Igitur quum Constans Augustus Tarentum venisset, egressus deinde Beneventanorum fines invasit omnesque pene, per quas venerat, Longobardorum civitates cepit. *Luceriam* quoque, *opulentam Apuliae civitatem*, expugnatam fortius invadens diruit et ad solum usque prostravit. Paull. Diacon. de gest. Longobard. 5, 17. Quo in loco simul de urbe sermo est, quam infra commemorare ad rem pertinet, scilicet *Acherontia*, cuius nomen tunc iam in formam recentiorem *Acerentiae* mutari coeptum erat. Siquidem Paullus Diaconus, qui l. 2, cap. 21. Agerentiae nomen exhibet, narrationem de Constantis Imperatoris expeditione ita pergit: Arentiam sane propter munitissimam loci positionem capere minime potuit, ubi Acerentiam vel Agerentiam legendum esse nemo non videt, nonnullique codices manuscripti a Muratorio (Script. rer. Italic. Vol. I.) laudati genuinam nominis formam exhibent.

cinctam fuisse traditum est. Cuius quidem filius Pippinus belli contra ducem Beneventanum gerendi causa in istas regiones missus [32]) Luceriam a. Chr. 802 obsidione fatigatam cepit in eaque praesidium collocavit [33]).

Paullo post Grimoaldus Beneventanus dux eam recepit, neque vero quicquam inde in istis regionibus firmum, stabile aut bene ordinatum, imo de earum dominio simultates inter Longobardorum ipsos principes, interque Longobardos atque Graecos, eodem fere tempore Saraceni, sec. septimo Africa septentrionali et seculo nono ipsa Sicilia potiti, ad diripienda loca Italiae inferioris maritima frequentes. Ad ea quae sequuntur cum supra dictis nectenda verbo monuisse sat erit, Normannos ad frequentanda loca sancta, quorum in Apulia famosissimum Michaelis archangeli ad montem Garganum (Sant' Angelo), peregrinantes, audacia, fortitudine et armorum genere insignes, primum ad Salernum Saracenorum praedam agentium et ferentium victores, mox in Apuliam transgressos et in urbe Melfi arcem belli nactos, inde universam Italiam inferiorem atque, antequam seculum undecimum exiisset, Siciliam quoque subegisse. Per totum vero tempus, quo Normannorum duces et postea reges hisce regionibus imperitaverunt, Luceriae semel tantum, quantum equidem scio, ita mentio facta est, ut eam

---

32) Romuald. Salernit. ap. Muratorii scriptt. rer. Italicar. 7, 154 A.

33) Einhardi annal. ap. Pertzii Monumenta Germaniae historica Vol. I. p. 190: Luceria quoque frequenter obsidione fatigata ac ipsa in deditionem accepta, praesidiumque nostrorum in ea positum. Cf. quae annales Fuldenses ap. Pertz. 1, 353 iisdem fere verbis tradunt.

munimentis etiamnunc cinctam esse doceamur. Quippe Rogerius Bursa dux, Roberti Guiscardi filius, eam, quae ab ipso defecisse videtur, expugnavit[34]).

Iam ad ea tempora perventum est, quibus Luceria Saracenorum Siculorum atque Africanorum ibi collocatorum sedes, „nidus atque cavea[35])," in Hohenstaufforum historia haud contemnendas egit partes. Etenim posteaquam Siciliae atque Apuliae, quod tunc erat Italiae inferioris nomen, ad Fridericum II. devolutum erat regnum, is ex Germania in hasce regiones redux, Saracenos in Sicilia insula pacis plerumque turbatores alia atque antea factum erat ratione aggredi atque prorsus domare constituit. Bello contra eos prospere gesto atque magno eorum numero capto, ad viginti hominum millia in Italiam traduxit atque ad urbem Luceriam[36]) habitare iussit, quod nondum de habitationibus urbicis sed ita accipiendum est, illo tempore Fridericum sat habuisse ut Saraceni a Sicilia mari et montibus interpositis seiuncti essent, atque sub tuguriis eos habitavisse[37]).

---

34) Romuald. Salernit. ap. Murat. 7, 179 A.

35) Saba Malaspina ap. Murator. 8, 858 C.

36) Richard. de Sancto Germano ap. Murat. 7, 996. Ricordano Malespini ap. Murat. 8, 958 A. — e missegli in Puglia in una città diserta, che anticamente fu in lega cogli Romani, e fu disfatta da' Sanniti cioè da quegli di Benevento, la quale allora si chiamava Liucera e oggi si chiama Nocera, e furono più di cento trenta (?) uomini; onde quella città rifeciono molto forte, e quegli più volto corsono le terre di Puglia, e guastaronle etc. Cf. Giov. Villani ap. Murator. 13, 162. Cf. supra n. 24.

37) Ita concinnari posse videntur, quae Richardus de S. Germano loco supra laudato de Saracenorum traductione in Apuliam et quae appendix ad Gaufredum Malaterram ap. Murator. 5, 624 C narrat: — et fecit illos morari in plano Siciliae (Apuliae?) in *Casalibus*.

Nempe anno demum 1233 Luceria castello firmissimo, quod Fridericus II. in colle prope urbem vetustam nondum plane desertam sito saxis potissimum murorum urbis Troiae ideo dirutorum exstruendum curavit[38]), novam induit speciem. Luceria urbs castello ita adnectebatur, ut quid inter hoc et illam interfuerit, parum cognoscatur[39]). Nostra aetate urbis in plano sitae umbra superest, scilicet oppidum, cui maior ab episcopo, quam ab incolarum frequentia honor; castellum vero omnino desertum est. Eius vero rudera a Sancto-Nono abbate levi brachio atque perfunctorie modo delineata[40]) accuratissime in egregio Ducis de Luynes libro describuntur tabulaque adiecta repraesentantur, quam quum dissertationi addere non sit datum, non possum quin descriptionem illam transscribam.

„*Frédéric fit construire alors une vaste citadelle, nouvelle ville derrière l'ancienne et à un demi-mille environ. Sur trois côtés de la montagne s'étendit une enceinte de briques et de pierres reliée à égale distance par quinze tours en saillie, dont treize à angle droit et deux en forme de polygones irréguliers. Ce sont celles qui dominent les deux arêtes de la colline. Le*

---

38) Richard. de S. Germano ap. Murator. 7, 1031 B. Tunc (a. 1233) iussu Imperatoris Lucerium civitas Saracenorum firmatur, Troiae moenia diruuntur.

39) Apud Ughell., Ital. sacr. l. l. haec tradita sunt: Fridericus II. solum episcopum cum duodecim clericis ibi reliquit. Episcopus in veteri cathedrali pauper et paene exauctoratus remansit.

40) Saint-Non, Voyage en Italie 2, 522 sq.

côté qui regardait la ville et qui seul était accessible, se trouvait protégé par un fossé large et profond, qui suivait le tracé du front défendu lui-même par sept tours en formes de bastions et par deux tours rondes à chaque extrémité. Celle de gauche, plus grande que l'autre, est d'une belle conservation; elle a encore son couronnement et ses créneaux; la plate-forme de l'autre est ruinée, et là où veillait l'archer Sarrasin, s'élève aujourd'hui un télégraphe.

C'était sur ce front, entre le second et le troisième bastion à droite, que s'ouvrait la porte principale de la citadelle, dans un angle rentrant ménagé à dessein; on y arrivait au moyen d'un pont-levis dont on voit encore un pilier, et à côté du pont-levis se trouve un escalier couvert, taillé dans l'épaisseur du mur extérieur et qui donnait communication entre le sol de la citadelle et le fossé. Derrière les bastions, à droite de la porte, on remarque un quadrilatère oblong, qui est l'indication d'une galérie souterraine dont les murs devaient servir de fondation à des constructions supérieures. Ainsi l'art n'avait rien négligé pour rendre la place imprenable du côté où elle n'était pas protégée par la nature.

Mais ce qui prouvait surtout la perfection du travail, c'était le fort (arx, acropolis) *bâti non loin de la porte principale et appuyé sur la partie septentrionale de l'enceinte. Il était en partie construit avec les pierres de taille fournies par les ruines de l'ancienne Lucera; et l'abbé de Saint-Non, qui la visita à la fin du siècle dernier, admire le revêtement de ce palais*

composé de cailloux liés avec un mortier naturel si fort, qu'il souffre la taille et le poli, et que le temps, l'air ni l'eau n'ont pu le décomposer. Le fort de Lucera forme un carré parfait; sa construction est très solide, et il n'a aucune porte apparente. Les murs sont entalus et n'ont d'autres ouvertures que des meurtrières; derrière eux règne une galérie voûtée à deux étages. Le carré de l'intérieur, qui comprenait sans doute les chambres et les logemens, est obstrué maintenant par un amas de décombres, au milieu desquels on ne peut plus reconnaître qu'une salle centrale. Tout porte à croire que cette acropole était le palais de l'empereur ou, en son absence, du gouverneur, et le lieu ou était gardé le trésor (camera fiscalis).

Quant à l'enceinte qui suivait le contour de la montagne et n'avait que trois portes (postica), *dont une seule paraît avoir été à deux battants, elle renfermait, au temps de Frédéric II. et de ses successeurs, des maisons, des mosquées, des arsenaux, des ateliers de tout genre, une véritable ville enfin; mais toutes les traces de ses constructions sont effacées; il n'en existe plus que quelques murs de fondation épars sans connexion."*

Sed haec hactenus. Quae de Luceria, Saracenorum sede, Saracenisque apud Fridericum II. eiusque filios stipendia merentibus narranda sunt, ea posterioribus curis altera dissertatione efficiendis relinquo. Nunc ad id me converto, quod huius dissertatiunculae scribendae ansam dedit.

Indicenda est enim memoria IOANNIS AUGUSTI ERNESTI, viri summi, qui, per longam annorum seriem universitatis Lipsiensis decus atque praesidium, propter innumera de studiis academicis atque literis philologicis et theologicis merita celebrandus, posterorum pietati eo quoque nomen suum commendavit, quod stipendium philosophiae doctori atque bonarum artium magistro apud philosophorum ordinem nostrum literas privatim docenti praebendum legavit. Eius causa qui nunc hoc stipendio fruitur, IULIUS LUDOVICUS KLEE, Philos. Doctor et Bon. Artt. Magister, ad Scholam Nicolaitanam collega quintus, die XII. m. Sept. h. IX. in auditorio ICtorum, Ordinis illustris concessu, *de Diis Manibus Romanorum* orationem solemnem IOANNIS AUGUSTI ERNESTI memoriae dicatam habebit. Ad eam orationem audiendam RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICUM, PROCERES UTRIUSQUE REIPUBLICAE GRAVISSIMOS, COMMILITONES HUMANISSIMOS, qua decet observantia invitamus.

P. P. Dom. XIV. p. Fest. Trinit. MDCCCXLIV.

MEMORIAM

FRIDERICI AUGUSTI GUILIELMI SPOHNII

DIE XX. M. IAN. A. MDCCCXLV.

HORA IX.

IN AUDITORIO IURISCONSULTORUM

ORDINIS ILLUSTRIS CONCESSU

SOLEMNI ORATIONE CELEBRANDAM

INDICIT

GUILIELMUS WACHSMUTH

ORD. PHILOS. H. T. DECANUS.

Praemissa est de Luceria Apuliae urbe dissertationis Pars II.

LIPSIAE

TYPIS GUIL. STARITZII, TYPOGR. ACAD.

Indicenda est enim memoria IOANNIS AUGUSTI ERNESTI, viri summi, qui, per longam annorum seriem universitatis Lipsiensis decus atque praesidium, propter innumera de studiis academicis atque literis philologicis et theologicis merita celebrandus, posterorum pietati eo quoque nomen suum commendavit, quod stipendium philosophiae doctori atque bonarum artium magistro apud philosophorum ordinem nostrum literas privatim docenti praebendum legavit. Eius causa qui nunc hoc stipendio fruitur, IULIUS LUDOVICUS KLEE, Philos. Doctor et Bon. Artt. Magister, ad Scholam Nicolaitanam collega quintus, die XII. m. Sept. h. IX. in auditorio ICtorum, Ordinis illustris concessu, *de Diis Manibus Romanorum* orationem solemnem IOANNIS AUGUSTI ERNESTI memoriae dicatam habebit. Ad eam orationem audiendam RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICUM, PROCERES UTRIUSQUE REIPUBLICAE GRAVISSIMOS, COMMILITONES HUMANISSIMOS, qua decet observantia invitamus.

P. P. Dom. XIV. p. Fest. Trinit. MDCCCXLIV.

MEMORIAM

FRIDERICI AUGUSTI GUILIELMI SPOHNII

DIE XX. M. IAN. A. MDCCCXLV.

HORA IX.

IN AUDITORIO IURISCONSULTORUM

ORDINIS ILLUSTRIS CONCESSU

SOLEMNI ORATIONE CELEBRANDAM

INDICIT

GUILIELMUS WACHSMUTH

ORD. PHILOS. H. T. DECANUS.

Praemissa est de Luceria Apuliae urbe dissertationis Pars II.

LIPSIAE

TYPIS GUIL. STARITZII, TYPOGR. ACAD.

De Luceria urbe Saracenisque a Friderico II. Imperatore eo traductis.

Ex iis quae ad calcem primae dissertationis commemoravimus nunc alteram exorsuri repraesentamus, Saracenorum magnam multitudinem e Sicilia in Apuliam a Friderico II. Imperatore traductam, atque maxime in castro amplissimo egregieque munito ad Luceriam istos Saracenos antiquae instar coloniae in praesidio esse collocatos. Inde urbs antiqua Luceria fere nulla, Saracenorum vero colonia per Friderici filiorumque eius aetatem in dies aucta. Quamquam praeterquam Luceriae in nonnullis aliis quoque locis, v. c. Acherontiae[1]) et in arce quam Itali Girifalco appellant[2]), Saracenos habitasse, memoriae traditum est. Quodsi quis de hospitio militari potius quam de colonorum habitationibus accipit, ego nil contra. Iam vero quantavis Friderici esset cura, ut Saracenis in Apuliam traductis bene esset, per satis longam annorum seriem de statu suo eos haud contentos fuisse, imo reditum in antiquas Siciliae sedes optavisse consentaneum est; molimina vero in Siciliam revertendi apud hos, qui Girifalcone sedem habebant, frequentia fuisse dicuntur. Qua re permotus Fridericus II. a. 1239 quae ad reprimenda eiusmodi studia ipsi opus esse videbantur statuit[3]).

1) Acherontia (Agerentia, Acerenza) olim munitissima. V. Paul. diacon. supra in dissert. I, p. 10, N. 31.), simul urbs frequentissima, in Manfredi historia (infra dissert. 3.) partes agit.

2) Alias Girifarcum (cf. Barius ap. Duc. de Luynes Recherches 75. N. 6.) castellum in montibus situm quinque milliaria distans a promontorio Scylacio.

3) Regesta Friderici ad calcem Constitutionum a Gaetano Carcani editarum (Neap. 1786) ap. Duc. de Luynes 75. N. 7.

Iam de Saracenorum militia quaerentibus eam pro ratione orientali equitando et sagittis emittendis insignem fuisse vix verbo monendum esse videtur[4]). Usus vero ipsis est Fridericus iam antequam Luceriae castrum exstrueretur, atque egregiam ipsi manum praebuerunt in turbis Italicis, quae tum a civitatibus libertatis imo licentiae mirum quantum amantibus tum a pontificibus Romanis coronam imperialem papali subiicere summo studio nitentibus ipsi, dominationis efficiendae cupidissimo neque quicquam illis aut his concedere, quo illa diminueretur, suscitabantur. In quibus quidem plus semel, antequam exitiosa ista altera inter Gregorium Nonum, Pontificem Romanum atque Fridericum exarderet discordia, contra illius copias atque Lombardos stipendia meruerunt. Siquidem quum mira rerum perversitate factum esset, ut Fridericus a Gregorio excommunicatus in terram sanctam cum exercitu proficisceretur, intereaque Gregorius Apuliam infestaret, iam a. 1228 unus ex praefectis ad tutandas provincias in Italia meridionali sitas a Friderico constitutis copias in marchiam Spoletanam impressionem feci, atque Saracenis qui expeditioni intererant, ubi crudelitati indulgere volebat, usus est[5]); posteaquam vero Imperator e terra sancta reversus esset, a. 1229 exercitum fortem collegit, eique licet cruce adhuc signato Saracenos quoque addidit, atque hanc mire mixtam manum contra copias papales duxit[6]). Saraceni quidem quo erant odio adversus religionem Christianam, ecclesiam diripuerunt[7]), quod quidem per se vix memoratu

---

4) Petrus de Vineis in narratione de proelio ad Curtem novam a. 1237: — et suas evacuerunt pharetras Saraceni. Epist. 2, 1.

5) Chronic. Richardi de S. Germano ap. Murat. 7, 1006. C. Bertholdus — qui castrum quoddam quod Prusa dicebatur, sibi rebelle destruxit, eiusque incolas poenis addixit variis et tormentis et *Saracenorum* traditos potestati, quos secum de Apulia duxerat, in ipsis cruciatibus exhalare coëgit.

6) Ibid. 7, 1014 B: Imperator cum fortunato Crucesignatorum exercitu venit Capuam et ab ista parte *Saracenorum* cuneos ordinavit.

7) Ibid. 7, 1015 A. Tunc ecclesia S. Matthaei servorum dei a *Saracenis*,

dignum, verum studii quo animati erant et postea quoque exsultabant notam exhibet peculiarem. Spatio octo annorum interiecto, ubi Fridericus II. arma contra Lombardos rebelles ceperat, subsidio decem millia Saracenorum Lucerinorum a. 1237 Ravennam advenerunt[8]), atque paullo post pugnae ad Curtem novam inter exercitum Imperatoris et copias urbicas commissae interfuerunt. Saraceni agmen praeeuntes primam furiam Mediolanensium experiebantur, ut permultis trucidatis catervae eorum pene dissolutae essent, quum Fridericus subsidia adduxit et victoriam reportavit[9]). Qua quidem die Friderico quidem victrice adversariisque cruentissima Saraceni maiorem partem iacturae quam victoriae nacti sunt.

Paullo post Gregorius Nonus, iterum Friderici adversarius, inter permulta quae ipsi imputabat id potissimum gravissime questus est, quod Fridericus Saracenorum commercio favens Saracenos inter Christianos ad horum servitutem fidemque Christianam inquinandam habitare iusserit[10]). Omnino ore et sermone hominum tunc temporis ferebatur, Fridericum

---

qui erant in exercitu Imperiali, bonis est propriis spoliata, prae timore paucis aut nullis remanentibus in eadem.

8) Ibid. 7, 1039 A: De Luceria apud Ravennam vadunt decem millia Saracenorum in subsidium eius (Imperatoris), cum civitatem ipsam — graviter infestarent etc.

9) Matth. Par. ed. Wats p. 378: Mediolanenses in exercitum Imperialem irruentes, *Saracenos* sibi primo oppositos alacriter suscipiunt in ore gladii: et in brevis horae spatio trucidant prosternentes. Cf. quos Frid. de Raumer laudavit auctores: *Gesch. der Hohenstaufen* 3, 614. (Ed. 2.)

10) Raynald. annal. a. 1239 §. 5. (Vol. 13, p. 476): In civitate Nuceria, in qua eiectis Christi cultoribus cultores intulit Mahometi, opere regio construxit palatium, in cuius parte cathedralis ecclesiae ipso mediante destructa, ubi titulus altaris exstiterat, ille Christianissimus Fredericus palatii purgamenta substituit, et ubi Filius Dei mactabatur in ara labes hominis purgaturus, filius hominis in contumeliam Creatoris ventris immunditiam positurus accedit. Illius quidem civitatis antistes de tot millibus hominum quos Christiana religio congregavit, ibidem duodecim Christicolas habere permissus dum invito populo fidelium caret consortio alienigenarum contubernia circumire compellitur ad linguae nativae officium in Ara-

religionis Christianae esse contemtorem, Mohametanae fautorem[11]). Sane quidem permulta egerat et fecerat Fridericus, quae familiarem eius cum Mohametanis, inprimis Luceriae habitatoribus, consuetudinem et animum, qui sibi in ea placeret mirificeque moribus istis indulgeret, satis arguerent. Inde ab expeditione quam cruce signatus in terram sanctam susceperat Mohametanis magis quam pro temporum istorum ratione studere videbatur[12]). Cum Al Kamelo Aegypti rege, Soldano qui dicebatur, amicitiam contraxisse pacemque cum eo importunam fecisse ferebatur, quamvis haec perquam opportuna fuerat[13]). Sane inter viros istos, quorum uterque egregius, mutua observantia inde ab expeditionis illius tempore exstiterat[14]). A. 1232 legatio a Soldano missa varia dona affe-

bum convertere idioma; olim opulenta possessione fecundus, nunc pauper serviens sub tributo, ut pane famelicus saturetur manna Assyris dare cogitur et Aegypto. Cf. Matth. Par. 458, 12 sqq.

11) Matth. Par. 408; 8. sqq. Non pudebat homines Imperatorem „Vetuli de Montanis“ (Sheikh al Geber) socium praedicare et qui sicarios ab isto arcessiverit. Godefrid. Monach. ap. Freher. 1, 398: Ante hanc curiam circiter tres menses Ludevicus Dux Bavariae a quodam Saraceno nuntio Vetuli de Montanis in medio suorum est occisus. Nam idem Vetulus de Montanis Imperatori confoederatus multas iniurias, quas idem Dux Imperatori intulerat, intendit vindicare. Hoc autem conscientia Imperatoris creditur gestum esse quod Imperator ipsum ducem paullo ante diffidaverat in rebus et in persona, misso ad hoc nuntio speciali. Godefr. Mon. ap. Freher. 1, 398.

12) Vitio ipsi vertebatur quod Saracenos e Sicilia in terram sanctam ipsam secutos palam religionem suam exercere siverit. Wilken Gesch. d. Kreuzz. C. 476.

13) Vide Geroldi Patriarchae epistolam et aliorum Imperatoris adversariorum insimulationes ap. Wilken l. l. 6, 481.

14) Soldanus Babyloniae (!) Imperatori mittit tentorium mirifica arte constructum, in quo imagines Solis et Lunae artificialiter motae cursum suum in debitis spatiis peragrant, et horas diei et noctis infallibiliter indicant. Cuius tentorii valor XX millium marcarum pretium dicitur transcendisse. Hoc inter thesauros regios apud Venusium est repositum. Cf. Rich. de S. Germano ap. Murator. 7, 10 29 B. Soldanus Damasci pretiosa mittit Xenia Imperatori. Isto vel alio tempore Soldanus Imperatori, qui singulari cura colligendis terrarum peregrinarum feris operam dabat, eiusmodi feras dono misit. Iam a 1227 Fridericus

rens ab Imperatore lautissime accepta erat[15]). Accedebat ad haec, quod non solum Panormi, ubi iam Normannorum principum tempore mores Orientis praevaluerant, gynaeceumque cum eunuchis atque eiusmodi instituta in usum venerant, sed Luceriae potissimum Saracenos fovere tam parum negabat, ut eorum usu gaudere videretur, quod Saracenos armatos contra Christianos duxerat, Saracenorum mulieres et virgines amore amplexus erat[16]) atque propter artes saltandi etc.[17]) libenter in aula sua morantes viderat. Haec omnia quum Panormus longius distaret quam ut quae ibi gererentur in oculos pontificis inciderent, Luceria vero in regione propinqua sita esset terrisque pontificiis haud ita remota, haec urbs perfrequenter quasi rei cardo esse videbatur. Luceria tunc temporis quadraginta fere millia incolarum, plerumque Saracenos habuit[18]), ibi omnia quaeque Orientis speciem praebebant, vivarium, in quo anima-

elephantem dono acceperat Rich. de S. Germ. l. l. 1004. De „Giraffa,“ postea Friderico missa v. Reinaud extraits p. 436. Cf. Wilken 6, 510 N. 168. Collenuccio Stor. Neap. (lat. vers. a. 1572) p. 132.

15) In die Mar. Magdal. Imperator ment. Soldani et Vetuli de Montanis ad convivium vocat, et eis multis Episcopis assidentibus et multis nobilibus Teutonicis festivas epulas parat. Godef. Mon. ap. Freher 1, 398.

16) De hoc crimine cf. Matthaeum Paris. 408, 20. cf. not. sq.

17) Descriptionem eiusmodi artium v. ap. Matth. Par. 505, 60 sq. Et iubente Imperatore, plures vidit et cum delectatione inspexit ludorum ignotorum et instrumentorum Musicorum, quae ad exhilarandam Imperatricem parabantur, diversitates. Inter quas novitates obstupendas, unam magis laudavit et admirabatur. Duae enim puellae *Saracenae*, corporibus elegantes, super pavimenti planiciem quatuor globos sphericos pedibus ascendebant, plantis suis subponentes, una videlicet duos, et alia reliquos duos, et super eosdem globos huc et illuc plaudentes transmeabant: et quo eas spiritus ferebat, volventibus spheris ferebantur, brachia ludendo et canendo diversimode contorquentes, et corpora secundum modulos replicantes, cymbala tinnientia vel tabellas in manibus collidentes et iocose se gerentes et prodigaliter exagitantes. Et sic mirabile spectaculum intuentibus tam ipsae quam alii ioculatores praebuerunt.

18) V. computationem ap. Duc. de Luynes p. 74. N. 11.

lia ex Oriente arcessita[19]), gynaeceum mulieribus refertum[20]); vel cultum Mohametani palam ibi profitebantur, contra clerus christianus flocci habebatur. Omnimodo Fridericus Saracenorum patronus esse recte dici poterat. Haud mirum quod Pontifex Romanus inde argumenta petiit ad pravitatem fidei Friderici probandam, quod haereticum et infidelium amantem illum esse arguit, bene sciens nullo alio modo magis quam illo Imperatorem diffamari posse. Qui quidem si non alienus a fide Christiana, minime tamen is erat, ad quem caeca reverentia erga Papam et curiam Romanam, stolidaque gentis Saracenorum aversatio pertineret, imo seculi sui ingenium longe praegressus erat. Attamen probra quae Gregorius in ipsum contulerat, refellere haud supersedit, et singillatim quod ad Luceriae Saracenos pertinet, eorum collectione fidei Christianae bene se consuluisse praedicavit[21]). Simul autem Saracenos Lucerinos ad Pontificem Romanum in urbe Roma obsidendum et si fieri posset capiendum advenire iussit. Simulque eodem anno valde benignum Lucerinis sese praebuit, quippe qui vectigalia aequissime ordinans etiam praedia milleque boves ipsis distribueret[22]). Aegypti autem Soldano a. 1240 legatos misit, qui summis honoribus Cahirae accepti per aliquot menses ibi morabantur[23]).

Interea Gregorio Nono Pontifice mortuo qui duobus annis post in eius successionem creatus erat Innocentius Quartus, homo ferocia et dira cordis asperitate insignis, odio immani Fridericum eiusque ad prolem internecionem delere sese accinxit.

19) V. auctor. ap. Duc. de Luynes p. 76.
20) Imperatoris concubinae *garciae*, reliquae appellantur *ancillae* Regesta Frid. ap. Carcan. laudat. ap. Duc. de Luynes p. 76.
21) V. Matth. Par. 418, 16 sqq.
22) Regesta Frid. ap. Fr. de Raum. 3, 640.
23) Ricordano Malespini ap. Murator. 8, 162 D. e'l patrimonio di Santo Piero — occupò, menando — i *Saracini* di *Nocera* e'l papa quasi assediorono.

Qui posteaquam Roma Genuam indeque Lugdunum secesserat, concilio ibi habito cuncta quae Gregorius Friderico crimini verterat, repetiit novaque crimina addidit. Qua re Imperator denuo, quae gravissima eius culpa esse praedicabatur, Saracenorum patronus religionisque Christianae contemtor, eo potissimum quod Saracenis urbem fortem et magnam (Luceriam) condiderit, a Pontifice vera falsaque miscente esse perhibebatur[24]). Incassum Thaddaeus Suessanus, Friderici legatus in concilio Lugdunensi huius causam egit, atque, ut reliqua omittamus eaque quae ad rem nostram pertinent sola huc afferamus, Saracenorum militiam apud Fridericum eo excusare studuit, quod Imperator iis uteretur mercenariis, ut Christianorum sanguini parceretur[25]). Sane inter argumenta ad Fridericum exculpandum prolata hoc quidem parum erat idoneum, quo adversarii eius refelli possent. At vero pontificis animus is erat, apud quem nulla non actio pro Imperatore, quamvis proba fuerit, vana et praeiudicata opinione et odio immiti et implacabili reprobabatur.

Unde factum est ut Friderici hostes Italici pro huius gentis ingenio ad partes et simultates persequendas, ad odia alenda et acerrime efficienda proclivi et pertinacia, quae meliore sane re esset digna, conspicuo eum a Pontifice excommunicatum armis lacessere magis magisque animarentur. Rursus qua Fridericus erat superbia Innocentio pontifici eiusque partibus cedere corona moribusque suis indignum putavit atque bellum enixe instruxit. Commercio vero cum Saracenis atque fiducia in armatis gentis huius catervis collocanda adeo non abstinuit ut, quo magis ecclesiae

24) Regesta Frid. ap. Fr. de Raumer 3, 675.
25) Reinaud extraits 441. Append. ad Gaufred. Malaterr. ap. Murator. 5, 604 D. Willken 6, 510.
26) Matthaeus Paris. 581, 40 sqq., unde hauserunt Ampliss. Concil. Coll. 14, 45. 49. Mansi 23, 633 sqq.
27) Utitur enim ipsis in expeditionibus, quarum non aestimat casum alicui Christiano deplorandum, et sic parcit Christiano sanguini, ne frustra effundatur. Matth. Par. 584, 3.

Christianae arma eum infestarent, illis spem atque fortunam in dies magis crederet. Siquidem multitudo eorum qui Luceriae habitabant a. 1244 et 1245 novis copiis e Sicilia adductis aucta est. Quippe gens ista in Sicilia nondum exhausta erat, catervae nonnullae rebelles Iato et Entella castellis potitae per regiones circumiacentes praedabundae vagatae erant [28]). Eae vero victae Luceriamque traductae sunt [29]). Neque hoc armorum incremento contentus Imperator paullo post adeo ex Africa Saracenos mercenarios accivit. Quantam vero fiduciam in Saracenis poneret, eo apparet quod corporis custodiam ducentis Saracenis commisit [30]). In provincia Bariensi vero Saracenus quidam e Luceria Iustitiarius factus est [31]). Magnam eius clementiam et indulgentiam erga ipsos esse, Saraceni minime ignoraverunt, imo ei nisi sunt ubi peccaverant, neque eos fiducia haec fefellit. Quippe gens ista proterva, lasciva, in venerem praeceps atque Christianos parvi pendens persaepe libidinibus indulsit neque stupra fuerunt rara. Unde metus is apud Apulos invaluit, ut quo tempore septem cohortes Africanae in Apuliam venerant, Barii et Turcni [32]) habitatores suas uxores filiasque, ut ab iniuria tutae essent, ad littus Slavicum e regione situm abducerent [33]).

Eandem ob causam incolae urbis Bardulorum [34]) Manfredo, Imperatoris filio, duo millia augustalium solverunt, ut ne Saracenos hospitio excipere cogerentur [35])! Quae quum ita se habeant apud gentem istam indomitam, ferocem et libidinosam sane vigilantissima cura magistratuum

---

28) Append. ad Ganfred. Malaterr. ap. Murator. 5, 604 E. — omnes Saraceni de Sicilia tanquam rebelles ascenderunt in montana et ceperunt Iatum et Entellam.

29) Ibid. 605, 13: — Comes Riccardus de Caserta eiecit omnes Saracenos de Sicilia, et misit illos apud Noceriam in Apulia. Petr. de Vin. Epist. II, ep. 12. At vero Arabes nonnullos in Sicilia remansisse probatur ap. Duc. de Luynes 98, N. 5.

30) Matth. Spinell. ap. Murator. 7, 1070 A.

31) Ibid. 7, 1066 B.

32) Hodie Trani.

33) Matth. Spinelli ap. Murator. 7, 1066 B.

34) Hodie Barletta.

35) Id. l. l.

ad Saracenos ab iniuria, quam minabantur, arcendos opus erat. In quo quidem Fridericus pro rerum suarum statu, praesertim posteaquam plus semel coniuratione Apulorum turbatus erat, Saracenis, quorum fidem et voluntatem dubiam non esse persuasum habuit, plerumque indulsit, magisque ad tutandos eos a Christianorum iniuriis quam ad fraenandam illorum petulantiam adtentus fuit. Ita quum persaepe turbas atque rixas sponte excitarent, vis a Christianis illorum alicui illata gravi poena obnoxia esse solebat [36]). In urbe Bardulorum quum Saracenus quidem occisus esset, duo cives propter opem interfectori latam in carcerem coniecti sunt, civitatique mille augustalium mulcta dicta est [37]). Rursus stuprum a Saracenorum duce mulieri Apulae illatum impune factum esse Fridericus voluit [38]).

Haec taliaque magni Imperatoris studia Saraceni quidem acerrima militia retribuebant. Quapropter quo magis Fridericus postremis vitae sane annis ab hostibus ad calcem redigi videbatur, eo maiorem Saracenorum multitudinem paravit. Identidem Lucerini cohortibus ex Africa adscitis aucti sunt; a. 1249 decem et septem cohortes inde advectae [39]). Iam quaenam Saracenorum ratio belli fuerit, id magis divinatione assequendum est, quam secundum rerum gestarum memoriae auctores tradi potest. Quippe rerum ab ipsis bene gestarum memoria valde exigua, facinorum

---

36) Auctores duos dubia fidei secutae historia Ducis de Luynes 75 (N. 5.), legem omnino iniquam Friderici attribuit. Quum fidem iis praebere nequeo, tum ratio agendi Friderici ab ipsorum ratione haud valde erat aliena. Iam a. 1239 Gregorius Nonus istius iniquitatis Fridericum accusavit: Est etiam quod causam non minoris doloris adiiciat, dum Saraceni avidi Christiani sanguinis effusores impune perimunt Christianos; et si defensionis praesidio, vel inopinatis eventibus occiditur Sarracenus, qui causam dedit damnatus ad mortem, et nullis de ipso inventis praesumptionis indiciis illi gravi poena mulctantur, in quorum confinio invenitur occisus. V. Raynaldi annal. 13, 476.

37) Matth. Spin. ap. Murator. 7, 1066 O.

38) Id. l. l. 1065 B, sqq.

39) Matth. Spin. ap. Murator. 7, 1068 A.

vero ab iis patratorum frequens et accurata narratio. Impressione in Pontificis Romani ditionem facta a. 1249 episcopum patibulo affixisse, imaginem Christi crucifixam caudae equinae annexam per plateas traxisse dicuntur[40]). Quod quidem negare mihi non est in animo.

Fridericus denique morte appropinquante Luceriam tetendisse atque quum in urbe Firenzuola septem milliariis a Luceria distante diem supremum obiret, Saracenos circum se habuisse ducentosque corporis custodes funus eius persecutos esse[41]), id iis quae hactenus de Saracenis cum comitantibus tradita sunt, egregie convenit.

Superest ut de Lucerinis apud Friderici filios stipendia merentibus singularique eorum fide et opera tradamus: hanc vero disputationis partem curis posterioribus relinquere opportunum est visum. Accedendum enim est ad eam rem, cuius causa haec disputatio scripta est. Igitur Spohnii, olim hac in universitate Liter. Graec. et Latin. Professoris Ordin. egregie de hisce meriti memoriam indicimus, festa oratione rite celebrandam. Hanc autem qui nunc stipendio ad Spohnii memoriam a matre ipsius legato fruitur, GUILIELMUS BRUNO LINDNER, Philos. Doctor et bon. Artt. Magister, Theol. Licenciatus, ad aedem Paulinam concionator, *Quanta fuerit Aegyptiorum in artibus, in philosophia, in theologia gloria et solertia*, expositurus, die XX. m. Ian. a IX. in auditorio ICtorum Ordinis illustris concessu habebit. Quam ad orationem audiendam RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICUM, PROCERES UTRIUSQUE REIPUBLICAE GRAVISSIMOS, COMMILITONES HUMANISSIMOS qua decet observantia invitamus.

P. P. Dom. Septuages. MDCCCXLIV.

40) Matth. Par. 661, 10 sqq. 41) Matth. Spin. ap. Murator. 7, 1069 A.

MEMORIAM
CAROLI FRIDERICI KREGELII DE STERNBACH

DIE XIX. M. FEBR. A. MDCCCXLV.

HORA IX.

IN AUDITORIO IURISCONSULTORUM

ORDINIS ILLUSTRIS CONCESSU

SOLEMNI ORATIONE CELEBRANDAM

INDICIT

GUILIELMUS WACHSMUTH

ORD. PHILOS. H. T. DECANUS.

Praemissa est de Luceria Apuliae urbe dissertationis Pars III.

Rerum a Luceriae Saracenis post Friderici mortem gestarum memoria.

Friderico II. Imperatore defuncto Conradoque filio eius et herede impedito quominus cito Apuliam et Siciliam possideret, aliquot Apuliae civitates novarum rerum cupidae seditionem moliebantur. At vero Manfredus, Conradi frater natu minor, adolescens egregiis artibus, constantia et fortitudine insignis, ad fratris regnum tuendum promptus, Saracenorum potissimum sibi concinnandorum studiosus [1]) iisque ad tumultum usus sedandum hic illic praesidia collocavit [2]), nonnullas urbes rebelles domuit ad Neapolimque, quae primas agebat partes inter istas obsidendam sese accinxit [3]). In quo quidem non ex animi sententia rem gerens paullo post Conradi fratris adventu laetatus est, qui Germanorum Saracenorumque viribus iunctis Neapolim expugnavit [4]), totum regnum in fidem recepit atque civitates, quae fidem fefellerant, Germanorum aut, quod peius audiebat, Saracenorum hospitio militari castigandas

1) Saba Malasp. ap. Murat. 8, 292. C. D.
2) Matth. Spin. ap. Murat. 7, 1069. Nic. de Iamsilla ib. 8, 499. 503.
3) In genere cf. Frid. de Raum. 4, 282 sqq.
4) Matth. Spin. ap. Murat. 7, 1072.

curavit[5]). Post Conradi obitum (a. 1254) Manfredus iterum regni propugnator Conradique pueri vicarius Saracenorum potissimum ope post varios casus de adversariis triumphaturus erat. Siquidem Bertholdus copiarum Germanicarum dux Manfredi rivalis milites suos ipsi adducere noluit. Innocentius autem Pontifex cum exercitu stipendiariorum cruce signatorum regni fines ingressus Manfredum dolosis pactionibus irretitum subditi loco habuit. Per totam Italiam inferiorem turbae atque tumultus; inprimis eae civitates, quas Germanorum et Saracenorum hospitii militaris pertaesum erat Manfredo infestas sese praebuerunt[7]). Milites vero papales cruce signati per Apuliam dispositi eiusmodi molimina adiuverunt. Is autem opes pessumdatum iri cernens id modo agebat, ut Luceriam ad Saracenos ipsi caros et fidos perveniret. Sed ne hic quidem omnia tuta et firma. Etenim castri custodia a Conrado mandata erat Ioanni Mauro, quem patri nomen haud danti ex ancilla natum nigra Fridericus II. propter eximias ingenii dotes fiducia et favore auctum inter praefectos militares receperat. Iste vero homo non aeque probus ac strenuus, Marchisio (Makrizi?) familiari suo Luceriae relicto atque portas clausas habere iusso, Neapolim versus ad pactum de deditione cum Innocentio transigendum pervenerat. Manfredus per devia inter hostium catervas ad ipsum capiendum vagantes nocte pluviosa Luceriam tetendit. Iam quae ipsi evenerunt Nicolai de Iamsilla luculentissimi rerum gestarum memoriae auctoris verbis narrare opportunum videtur[8]): „Paullo autem ante diluculum equitaverunt, et cum ad tria forte milliaria civitati Luceriae appropinquassent, cogitavit princeps, quod si omnes simul ad civitatem

5) Matth. Spin. ap. Murat. 7, 1077.
6) Frid. de Raum. 4, 303 sqq.
7) Matth. Spin. ap. Murator. 7, 1074. A.
8) Ap. Murator. 8, 530 sq.

accederent, contingere posset, quod homines civitatis multitudinem illam, licet paucam, suspectam haberent, et forsitan ingressum sibi negarent; si autem cum duobus, aut tribus tantummodo iret, ingressum sibi dare non dubitarent, facilius et salubrius cum paucis, quam cum multis, deinde salvare se posset; cogitabat enim princeps, quod si in Luceria forte non reciperetur, ad castrum Bibiani, quod pro eo tenebat, pergeret, et ibi se receptaret. Missis ergo in loco illo omnibus illis, qui secum ibant, princeps ipse cum tribus tantum, quorum unus idioma Saracenorum bene noverat, ad portam appropinquabat, quo ex interiori parte plures homines, qui ad noctis custodiam deputati ad portam custodiendam, asserentes, equites civitatem versus venire, convenerant, propter magnam sollicitudinem custodiendi civitatem, quam eis illius temporis qualitas ingerebat. Cum ergo princeps esset extra ante portam, et homines civitatis ex interiori parte in ipsius portae propugnaculis starent, unus ex famulis principis, linguam Saracenicam sciens, prius accessit; et hominibus, qui portam custodiebant, dixit: „en dominus vester princeps filius imperatoris, iuxta desiderium vestrum ad vos venit: aperite ergo sibi portas, et ipsum recipite in civitate, sicut iam pridem cum magna bona vestra liberalitate promisistis.“ Cum autem illi dubitarent, an ibi princeps esset, prout ille dicebat, et suspicarentur ab ipso illudi, princeps, ut se illis cognitum faceret, appropinquavit magis ad portam, et cognitus est ab eis; statim autem quod cognoverunt, quod princeps esset, anxiabantur ad portam sibi aperiendam, volebantque prius mittere ad Marchisium statutum per Ioannem Morum, ut supradictum est, in civitate Luceriae, qui claves praedictae civitatis habebat. Tunc vero unus ex illis, qui intus erant, fidem suam ulterius erga principem ostendens sic inquit: „pro clave ad Marchisium mittimus? ipse Marchisius, qui mandatum habuit a Ioanne Moro, quod nec principem, nec aliquem alium ingredi civitatem permitteret, clavem ipsam non dabit, sed principis

ingressum, quantumcunque poterit, impediet. Bonum ergo est, ut quomodocumque melius fieri potest, princeps intret: ipso enim ingresso omnia postmodum plana erunt.“ Erat autem clivus quidam a civitate productus, per ipsam portam ad labem aquae pluvialis extra civitatem educendam, qui clivus limen portae per medium secabat, ita quod clausa porta tantum foraminis ex illo clivo remanebat, quod homo prostratus ingredi inde poterat civitatem. Ille ergo, qui sic fuerat proloquutus: ingrediatur, inquit, princeps per foramen, quod sub porta est, et sic in civitate quomodocumque ipsum habere possumus, habeamus. Tunc princeps, nec advertens ingressus illius turpidinem, sed magnae fructum gloriae, quae ex illa turpitudine resultabat, cogitans per labores et angustias transeundum esse ad gloriam, et ex illa contumeliosa quidem, sed utili prostratione, surrecturum se ad magnae solium exultationis aspirans, cum iam ad id eum fortuna duxisset, ut non tamquam homo directus, sed tamquam reptile incurvatus, terraeque prostratus gradi deberet, animadvertit sapientissime, quod processus forte, qui iam ad illius depressionis ultimum venerat, ad suae relevationis tendebat initium, descenditque de equo suo, et se in terram prosternere ad ingrediendum per foramen parabat. Quod Saraceni videntes, magnaque ex illa principis miranda quidem, sed necessaria humilitate permoti: numquid, inquiunt, ferendum est, ut dominus noster, ita viliter civitatem intret? Effringamus igitur portas, ut ingrediatur, sicut principem decet. Uno ergo impetu facto irruerunt ad portas, ipsasque fregerunt, et intus principem cum magno gaudio recipientes, ipsum usque ad medium civitatis in brachiis suis relevatum a terra portaverunt. Itaque circumcinctus princeps innumera multitudine populi confluentis, ad aspectum ipsius, in illa honorifica delatione sui, magnam personae defatigationem sustinebat, dum homines magis suo communi gaudio, quam ipsius principis habilitati satisfacientes, in tantum exhibitionem illam honoris extenderent erga

principis personam, ut de labore et compressione, quam tunc princeps patiebatur, parum cogitarent: quod cum oblato sibi in illa frequentia populi cum maxima difficultate equo equitasset, sensit de persona graviori tunc periculo, quam id quidem habuerit, respirasse. Cum autem hoc fieret, et de adventu principis civitas tota ferveret, pervenit hoc ad notitiam Marchisii statuti per Ioannem Morum in civitate, qui Marchisius in regio palatio erat. Qui cum audisset, principem fore in civitate, admirans qualiter id esse potuisset, cum ipse portarum omnium claves haberet, fecit confestim armari Saracenos, deputatos per Ioannem Morum sub se ad custodiam civitatis, ipseque armis munitus egressus est de palatio, et simul cum praedictis armatis contra principem venire coepit. Principe autem procedente ad palatium cum maxima populi multitudine, ipso quoque Marchisio cum armatis suis contra principem ab ipso palatio veniente, cum ventum esset ad id loci, quo dictus Marchisius principem eundem aspiceret, factus est illico clamor et concursus populi ad ipsum Marchisium, ut incontinenti descenderet, et ad pedes principis iret. Ille stupefactus, et de necessitate virtutem faciens, statim descendit, armisque depositis, ante principem se prostravit, et pedes principis osculatus est; sicque princeps cum magno honore et gaudio ad palatium regium, populo comitante, perductus est.“

Sic igitur Manfredus d. altero m. Nov. a. 1254 Luceria potitus non modo validissimam et ipsi propter metum a Curia Romana deditissimam[9]) Saracenorum manum sed largissimus quoque ad bellum instruendum nactus est opes[10]). Copiis Pontificis cruce signatis apud Foggiam superatis hac urbe potitus est, quo facto totus exercitus papalis fuga rapida et

9) Saba Malasp. ap. Murat. 8, 793 D.

10) Nic. de Iamsilla l. l. 533. Cf. Frid. de Raum. 4, 322.

turpi ipsi locum dedit[11]). Ab eo inde tempore Manfredus, cui paullo post (d. 13. m. Dec. a. 1254) Innocentii obitus percommode cecidit, Saracenis egregie ad regnum usus est recuperandum. Ioannes vero Maurus a Saracenis Acherontiae in praesidio collocatis ipsique iratis interfectus est[12]). Alexander IV., Innocentii successor, bellum instauravit atque inter gravamina de Manfredo Luceriae maxime statum, quippe Mohametanorum sedem medios inter Christianos, denotavit[13]). Verum enimvero eius quoque ad Luceriam „funditus destruendam" egressus exercitus, cui Octavianus Cardinalis praeerat, a. 1255 fusus atque fugatus est, atque hac in re Marchisius, cuius supra mentio est facta, Manfredum astutia adiuvisse fertur[14]). Iam quotquot urbes adhuc Pontifici addictae erant, eas ad unum fere omnes Manfredus recuperavit. Ter mille Saracenos secum duxit ad Neapolim expugnandam, neque hac vice spes urbis potiundae ipsum fefellit, quippe qui brevi hanc urbem ad deditionem coëgerit[15]). Saracenos, quod manu fortes esse haud desierant Manfredoque ipsis faventi fidem haud fallebant, laude dignos, ceteroquin non minus quam antea libidinosos et lascivos fuisse coniectura assequi licet. Quanquam singularis incolarum vici Amalfitani, qui Atrani vocatur, habitus originem Arabicam arguens[16]), non tam de frequenti Saracenorum Manfredi venere, quam de Saracenorum Apulorum reliquiis colonorum instar eo ductis derivandus esse videtur! Manfredus nuntio, quem post falsum fuisse cognitum est, de Conradi iunioris morte in Apuliam allato regnum a. 1258 ipse occupavit. Inde maior in dies Saracenis honor additus. Iam pridem Almuz Saracenum classi Manfredus praefecerat[17]), postea Saracenos Bescavet regioni montanae Abruzzi quae appellatur, Rajel portubus praefectos constituit, corporis custodes Saracenos habuit, dotem filiae suae Aragoniae regi desponsatae Saracenis equitibus Tarentum deportandam tradidit[18]). Magis etiam patre ipso huic militiae favisse videtur, ut ipsorum gratia cupidius et partium studio motus vel iniquam in iudiciis ferre sententiam diceretur. Etenim quum inter custodum Saracenorum tribunum atque nobilem quendam Neapolitanum rixa exorta hic illi pugnum in faciem impegisset, ut sanguis destillaret, Manfredus Neapolitano manum abscindi iussit[19]). Luceriam vero, quae tunc temporis frequentissima erat civitas, Mohametanorum religionis et morum prosperrimam sedem fuisse[20]) id iterum verbis describere non opus est. Quae quum ita sint, non est quod miremur, Manfredum cum Mamelucorum Soldano Bibarsio commercium habuisse[21]), aut a curia Romana Henrico III. Angliae regi, qui cum Pontifice de Siciliae regno paciscebatur, epistolam esse scriptam, qua certior fieret, a Man-

11) Monach. Patav. ap. Murat. 8, 689 C. F. de Raum. 4, 326.

12) Nic. de Iams. ap. Murat. 8, 542. C.

13) Matth. Par. 772, 10 sqq. „Nuceria facta est Romanae ecclesiae quasi spina in oculo." Ibid.

14) Matth. Par. 778. 779. Saba Malasp. ap. Murat. 8, 794, C. sqq.

15) Matth. Sp. ap. Murat. 7, 1084 E, qui quidem in eo taxandus esse videtur, quod Manfredum isto tempore iam coronatum esse perhibet. Dolemus egregiam Ducis de Luynes de chronologia Matthaei ordinanda operam nobis deesse.

16) V. Duc. de Luynes. 126 N. 4.

17) Matth. Sp. ap. Murat. 7, 1079 C.

18) Id. ib. 1090 A. 1092 D.

19) Id. ib. 1093 A.

20) Matth. Par. 772, 28 numerat circiter sexaginta millia *armatorum*, quod de cunctis cuiusvis generis et aetatis accipiendum est incolis. Cf. supra Diss. 2, P. 7.

21) Michaud, Biblioth. des croisad. 6, 305 ap. Duc. de Luyn. 131.

fredo „assissinos“ ad ipsum suosque filios trucidandos esse delegatos[22]. Levissimos fuisse homines in istiusmodi fabulis credendis et propagandis constat, atque famae talis de Friderico VI. olim pervulgatae[23]) ipsa repetitio hic non verum ipsi quicquam infuisse, sed hominum levitatem, credulitatem atque pessima quaeque auribus et mente lubentissime arripiendi propensionem, nedum curiae Romanae adversarios suos eiusmodi criminibus infames reddendi studium manifestat. Interea Manfredus fide quam Saracenis suis habebat Pontificis animum in dies magis exasperavit. Aliquot enim Saracenorum et Germanorum cohortes Eccelino opem laturas 1258 in Lombardiam misit[24]), atque posteaquam Eccelino mortuo inter Alexandrum et Manfredum de pactione transigi coeptum esset illeque inter primas pacti conditiones poposcisset, ut Manfredus universos singulosque Saracenos expelleret, Manfredus respondisse fertur, se duplo maiorem eorum manum esse accersiturum[25]); et re vera eodem anno Saraceni ex Africa arcessiti Tarentum adveniebant, cunctaque Saracenorum manus in „Campaniam Romanam“ deducta Pontificis ditionem graviter afflixit[26]). Iam aliquot annis ita elapsis Alexandro IV. mortuo, qui eum secutus est Urbanus IV. odio adversus Manfredum Saracenorum patronum totamque Hohenstauforum gentem indulgens atque a Manfredo armis pollente impressionibus in ditionem Romanam lacessitus[27]) foedus

22) Chron. monast. Burton. ad a. 1257. Ap. rer. Anglicar. scriptt. Oxon. 1684. Vol 1, p. 377.
23) V. supra dissert. 2, pag. 6. N. 11.
24) Matth. Sp. ap. Murat. 7, 1094 C. Saba Malasp. ap. eund. 8, 80.
25) Matth. Sp. ap. Murat. 7, 1096.
26) Ibid. 1098.
27) Querelas Urbani de Luceriae Saracenis et cohortationem ad militiam cruce signandam v. ap. Martene et Durand. 2, 70 sq. cf. Frid. de Raum. 4, 440. 445.

cum Carolo Andegavensi Provinciae Comite de corona Siciliae ipsi tradenda inivit et, qui eum sequebatur, Clemens IV. eidem Comiti deditus pacti firmandi consilium professus est. Antequam Carolus Romam venerat (d. 21. m. Mart. 1265) et quamdiu ibi exercitum itineri terrestri tarde appropinquantem exspectabat neque ad regnum condonatum sibi a Papa capiendum satis vigebat, Flandriae comitem cum equitatu Caroli ad Lirim usque progressum Saraceni propulsaverunt[28]), Manfredusque per aestatem a 1265 bis cum Saracenis potissimum provincias pontificias vastavit, primum in regionem circa Tibur usque progressus[29]), deinde cum novem Saracenorum millibus in ipsius urbis Romae viciniam advectus[30]).

Eodem tempore factum est, ut urbis Neapolis cives, propter interdictum et quod Archiepiscopus missam celebrare nollet moerentes, Manfredum adhortarentur ad pacem cum papa faciendam, responsum vero reportarent, se trecentos Saracenos missurum esse, qui curarent ut missa fieret[31]).

Anno 1265 exeunte demum Caroli exercitus Romam advenit atque Ianuario mense Carolus castra movit. Manfredus, qui fauces ab hostili manu permeandas praesidiis satis quidem firmaverat, de exitu vero dubius erat, paciscendi cum Carolo periculum fecit. Cuius quidem responsum, se Luceriae Soldanum ad inferos missurum, nisi ab hoc in coelum mitteretur[32]), satis superque bellum internecinum manifestavit. Paulo

28) Matth. I. I. 1099. 1100. Cf. de Ferrerio Fr. de Raum. 4, 453.
29) Frid. de Raum. 4, 472.
30) Raynald. 1265 N. 25. Fr. de Raum. 4, 472.
31) Ibid. 1100 A.
32) Riccord. Malesp. etc. ap. Frid. de Raum. 4, 473.

post dictum res secuta est atque in hoc rerum Manfredi exitu Saracenorum partes ubique conspicuae. Castris Manfredi ad Lirim positis comitis de Caserta proditione disiectis, Carolus Sancti Germani urbem custodum incuria ingressus bis mille Saracenos sagittarios cum mille equitibus magnaque peditum manu ibi in praesidio collocatos superavit hostiumque in occidione victoriam posuit[33]). De regno et vita ad Beneventum dimicaturus Manfredus Saracenorum pedites sagittarios proelium inire iussit, eiusdem gentis equites una cum nobilium Apulorum manu circum se habuit[34]). Isti quidem equitibus Germanicis adiuti magnam hostium stragem ediderunt, attamen quum turpi Apulorum nobilium fuga, victoria Carolo cederet, Manfredus, cui duo equites Saraceni una cum Theobaldo nobili quodam Romano apparebant, ab ipsorum latere de fortuna sua desperans medios in hostes ruit ibique caesus est. Saraceni cladi superstites Luceriam fugerunt. Rege suo orbatis non erat spes fore ut statu suo longius fruerentur; rursus Carolus, licet eorum sedem pontifici Romano quam maxime invisam esse bene gnarus, ipsis aequi foederis conditiones denegandas esse haud existimavit[35]). Unde specie se in eius fidem permiserunt; re vera autem ipsum abhorrentes simulac certiores facti erant, Conradum iuniorem de Germania adventare exsultabant, arma capiebant atque regiones Luceriae vicinas infestabant[36]). Ipsis vero se adiunxerunt permulti Hohenstaufiae gentis asseclae, tum Germani tum Itali. Clemens pontifex Carolo opem laturus ducentos equites sub signis abbatis Cassinensis adversus eos emisit adeoque expeditionem militum cruce signatorum pronunciavit[37]). Id quidem incassum, neque Carolus ipse Luceriam m. Maio a. 1268 obsidens multum profecit, imo Conradi adventu aliorsum vocatus in castris militum aliquot cohortes relinquere satis habuit[38]). Posteaquam vero Conradum victum atque captum infami iudicio peremerat magno cum exercitu ad Luceriam oppugnandam reversus post sex mensium obsidionem d. 28. m. Aug. a. 1270 Saracenos fame morbisque defessos iniectisque collo funibus sese subiicientes in fidem recepit[39]).

33) Saba Malasp. ap. Murat. 8, 820 C. 822 C. Ricord. Malesp. ib. 1002. Frid. de Raum. 4, 479.

34) Saba Malasp. ap. Murat. 8, 820 A sqq. Ricord. Malesp. ib. 8, 1003 B. Frid. de Raum. 4, 485 sq.

35) „Saraceni Luceriae civitatem, personas et bona regis eiusdem beneplacita subiecerunt.“ Clem. IV. ap. Mart. et Dur. 2, 302 O. (cf. 301 A) Attamen salva vita Frid. de Raum. 4, 544 N. 1. Cf. descript. Victor. Caroli ap. Burmann. thes. antiq. Sicil. Vol. V, 33. Duc de Luyn. 156 N. 1.

Attamen ne tunc quidem regnum ipsis invisum aequo animo tolerabant, hominumque durissimo regno et Gallorum regis satellitum effrenata petulantia, superbia et crudelitate ad incitas redactorum magna multitudo Luceriam tanquam asylum petens Saracenis spiritus afferebant. Ideo posteaquam Carolus cum Ludovico IX. fratre vela in Africam fecisset, a. 1270, Saraceni a Carolo iterum defecerunt. Haud diu in Africa moratus iste a. 1271 ea vi Luceriam oppugnavit ut, licet Christiani rebelles cum Saracenis consociati diutius armis utendum esse suaderent, Saraceni Carolo aequam pacis legem clam ipsis insinuanti sese

36) Ricord. Malesp. ap. Murat. 8, 1012 E. 1013 C. Monach. Patav. ib. 728 C. Raynald. a. 1267 N. 12.

37) Epist. Clement. ap. Marten. et Durand. thes. 2, 450 E. 451 A. 575 F. Cf. Duc de Luyn. 156.

38) D. de Luyn. l. l. N. 4—6.

39) Monach. Patav. ap. Murat. 8, 731 E. Saba Malesp. ib. 8, 858 C sq. Raynald. 1269 N. 1. Cf. Davanzati et Giustiniani ap. Duc. de Luyn. 157 N. 1. 3. Frid. de Raum. 4, 573.

traderent. Deditione facta duplex regi tributum solvere iussi neque praeterea turbati sunt[40]). Quod si hanc Caroli immitissimi clementiam insolitam miraris, reputes, quaeso, eum, qui iam antea apud Beneventum victor Papae morem gerere noluerat, Saracenos etiamsi Papae invisos ad Graeciae imperium armis petendum sibi perutiles futuros aestimavisse; neque vero, posteaquam illud belli consilium parum processerat, Saracenos durius haberi voluit[41]).

Aliter Carolus II eius filius et patre mortuo rex, qui bello adversus Aragoniae reges molesto implicitus et sive a Saracenorum pristino erga Suevicae gentis principes studio ad Aragonenses quodammodo pertinente sibi timens, sive gratiae Pontifici Romano faciendae causa eos radicitus exterminandos suscepit. Igitur a. 1295 Luceriam obsedit. Saraceni de regis clementia et aequa pacis lege desperandum esse persuasum habentes summa constantia et fortitudine urbem defendebant, obsidioque per complures annos ducebatur. Denique seculo decimo tertio exeunte urbs impetu capta est atque Saraceni, quotquot expugnationi superstites religionem patriam abiicere nolebant, trucidati sunt[42]). Reliqui religioni Christianae nomen dantes Maurorum Hispanorum instar marrani appellabantur. Urbis nomen mutatum Sanctaeque Mariae nomen ipsi additum est; ecclesia cathedralis a Carolo exstructa summaque benignitate donata eadem nomen Sanctae Mariae de Victoria accepit[43]). Nihilominus

40) Cf. auctores Italos et Bzovium a. 1271 N. 2. laudatos ap. Duc. de Luyn. 157. De turre Luceriae refecta v. ibid. N. 8.

41) Davanzati et Giustiniani ap. D. de Luyn. 158. N. 2. 3.

42) Guil. de Nangis a. 1300. Cf. auctores Ital. laudat. ap. Duc. de Luyn. 158. N. 5.

43) Benedicti XI. Epist. ap. Raynald. a 1303. N. 55. Ughelli 9, 314. Giannone 21, 5, 2.

nomen Luceria Saracenorum praevaluit, urbisque incolae ingenio mobili, astutia et calliditate insignes diu post eius expugnationem alienigenarum notam prae se ferre dicebantur.

Sed haec hactenus.

Transeundum enim est ad id, quod scribendi occasionem dedit. Igitur indicenda est memoria Viri quondam illustris et generosissimi CAROLI FRIDERICI KREGELII DE STERNBACH, qui ante hos quadraginta sex annos academiae nostrae benignissime ad commilitonum egenorum et assiduorum studia adiuvanda stipendium legavit annuaque oratione memoriam suam repraesentari iussit. Quare qui nunc isto stipendio fruitur, Carolus Fridericus Henricus Zumpe, Budissensis, Philol. D. AA. LL. M., matheseos studiosus, die XIX. m. Febr. h. IX. in auditorio ICtorum „*de nonnullis quae inprimis in causa esse videntur quod mathematica in gymnasiis nostris plerumque parum succedat*“ verba faciet. Quam orationem VOS, RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, PROCERES UTRIUSQUE REIPUBLICAE GRAVISSIMI, COMMILITONES HUMANISSIMI praesentia VESTRA decorare velitis qua par est observantia rogamus.

P. P. post domin. Remin. MDCCCXXXXV.

L I P S I A E,
LITERIS STARITZII, TYPOGR. UNIVERSIT.

N —re

